

QVÆSTIO MEDICA

QVOD LIBETARIIS DISPVATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXX. DECEMBRIS.

M. CAROLO DE LAVAL Doctore Medico, Moderatore.

An à regione morum diuersitas?

112

MOREM gerunt temperamento facultates, & pro variâ mutatione diuersas subeunt alterantque vices. Mutationis causa elementi dominantis natura à quâ corporis & animi dotes. Et cum tribus facultatibus tota regatur corporis œconomia, si partes principes quibus insident debitam seruarint temperaturam, bellè se habebunt corporis functiones & animi, quæ cum spirituum sunt beneficio, ex sanguinis puriori portione naturalis generatur in hepate; Ex eo magis laborato in corde (propensionum & morum fonte præcipuo) vitalis, qui deinde per arterias delatus in cerebrum, sic animalis. His regitur corpus, languet, valet. Hepate benè constituto generantur spiritus, qui sanguinem aliòque humores plenis ri-uulis per vniuersum deferunt corpus. Cor calidum audacia sequitur, timiditas frigidum, si exuperat calor ad iram præcipitat & reuerentem. In sicco ira non prompta sed fera. In hu-mido ad eam procliuitas quæ sedatur faciliè. An Cor majus frigidius minori? An pauidiora animalia quæ habent cor magnum, audaciora quæ paruo sunt prædita? huius regie partis temperies citissimè afficit & mouet cerebrum nec non illius facultates, ita vt interurbet sæpe vel iuuet animales functiones. Harum partium magna consensio, conspiratio, nec alio ex fonte virtutes nascuntur & vitia. Et vt aër pro diuersâ cœli temperie variæ qualitatibus spiritum herbis atque animantibus affundit, ita partium principum temperies vim suam imper-tit animo.

NVLLI sunt animorum recessus, latebræ nullæ quas humorum in corpore dominium non aperiat: vt enim pituita congeritur, aut bilis exuperat, aut sanguis abundat copiâ; ita ad cer-tos mores conformatur animus. Pituita sopito calore mentis obtundit aciem, sensus obnubilat, desides, inertes, ignauos reddit homines. Bilis accendit animum, ad res præclaras addit stimulos & incitamenta, ingenium reddit acutum, ad dolos & insidias habile, capax bonarum iuxta & malarum arrium, sed in omnia præceps. Si bilis illa in melancholicum transeat hu-morem, rugis frontem asperat, obumbrat mentem tristitiæ nebulis, densâ fuligine replet cerebrum affligit corpus, animus malè habet, homo fit querulus, durus, amarulentus: Si humoris crescat malignitas partè que petat superiores, oritur mentis alienatio: vt enim per coloratam crystallum transmissa species eundem retinent colorem & oculis deferunt, sic objecta humoris atri colore infecta mentem è suâ præcipitant sede, & sæpe adducunt in desperationem. E contra sanguinei expedita sunt mentis agitatione, amabili morum venustate, a gendi dexteritate eximiâ si paucâ bile temperentur aliisque sinceris humoribus, alioque ebulliens in venis sanguis puerilem animi mobilitatem affert & inconstantiam: nulla in mori-bus grauitas, abest in rebus agendis, in diâis prudentia, in iudicandis ratio. Tam arda inter corporis animique moderationem cognatio.

VIX in tantâ rerum multitudine videas aliquid magis varium quàm hominis ingenium. Vt corporum lineamenta, vt vocis modi & soni, ita morum diuersitas. Mirari desine. In eodem homine animus varius. Quidquid temperamentum mutat, illud & irmutat mores: sic ætatis ratio has vel illas subeunt mutationes. Quæ pueritiæ morum conformitas cum virili-tate, quæ vtrique cum decrepità senectute? Quis neget syderum influxum vt in corpus sic & in animum agere? Nonne naturæ sequitur semina quisque suæ? Nonne à parentibus hære-ditario quodam iure vt morbi ita transeunt mores? An æquat rara patrem proles? Et cum alimentis indigeat corpus vt triplicis substantiæ refarciat iacturam, nihil potentius ipsius ef-fulentis, potulentis, aut aëre in nos agit: Si hæc nullâ vincente qualitate sint prædita, animal in eodem conseruant statu, aut certè minimum mouent. Verùm qualem cumque afferant mutationem, vim leuem innato faciunt temperamento. Quod dedit Natura difficillimè tollitur, & virtutes aut vitia quæ successione quâdam accepimus, tam altas habent radices vt vix possint amoueri. Gaudeant benè-nati, vtantur forte suâ. Sed ij quos ingrata natiuitas nullis locupletauit ingenij dotibus aut virtutibus instruxit, nec temperie donauit optimâ, eu-chymis vtantur alimentis, aquis salubribus, cœlum & solum iuuent. Apice quid faciant commercia. Emoluit gentes elementia cœli.

QVAM varia est atque multiplex soli terræque conditio, tam diuersi reperiuntur hominum mores qui regionum temperamento sunt similes. Expendat quisque quâ loci, æque, & aëris fruatur naturâ. Aër qui corpori nostro continuò se ingerit, illud aut frædo halitu aut salubri afflatu vel viticare vel afficere solet. Calidus cutis reserat spiracula internumque euocat ca-lorem, frigidus eundem cogit: hinc pro quadripartitâ anni vicissitudine, pro syderum quòque ascendentium varietate, à quibus aëris, qualitas immutatur, mutatur & corpus. Sol quò propius ad nos accedit vel recedit longius, variè nos mouet, afficit, vt & soli natalis natura. Ad terræ indolem nascitur homo, in illâ virtutum & vitiorum adsunt prima incuna-bula. Sic Platoni melius fuit in Græciâ nasci quàm apud Thebanos. In salo nati pitces salem referunt. Ad patriæ regionis spiritum effinguntur homines. Mollis terra demissè in-dolis producit. Non eiusdem est regionis, & fructus, & viros edere generosos. In sterili terrâ felicia laudantur hominum ingenia. Copia vitiorum est genitrix. Fertilis regio incolas reddit desidiosos; Ex desidiâ mollietis corporis & animi, quam comitatur ignauia.

VRBE S quæ solis exortum spectant, iis longè sunt salubriores quæ vel ad Septentrionalem frigidamque cœli plagam vergunt, vel ad australem calidamque declinant. Australis regio timidus, dolosus, inconstans, feruillanimo, rapaces producit homines. Borealis veraces, candidos, fortes, iracundos, audaces. In eâ quæ tendit ad ortum, prudentes sunt, hilares, ditisciplinarum studiosi. In occidentali plagâ, cum ventis humidis nec salubribus vtantur, hebetes. Qui montana & aspera habitant loca nullis aquis irrigua, ad laborem impigri, effe-rati, agrestes. Qui terras palustres incolunt vel aquis vtuntur calidis, ad laborem segnes. In excelsis & planis locis vbi venti fecales susurrant, sunt acuti, sagaces. Non enim idem aër idem est in omnibus regionibus. Hæc & illi ventis agitur, originis suæ seruat qualitates. Ausfer pelagi madeficit vapore. Boreas soli natiuum retinet frigus. Quid mirum si in cœlo alio atque alio prædit temperamento diuersos contrahant animi mores. Namo Ierui prouocat aut terret emptorem. Neque enim omnis fert omnia tellus.

Ergo à regione morum diuersitas.

DOMINI DOCTORES DISPVATVRÌ,

- | | | |
|------------------------|---------------------|-------------------------|
| M. Michaël du Pont. | M. Ioannes Garbe. | M. Robertus Tullioë. |
| M. Petrus de Mercenne. | M. Paulus Courtois. | M. Ioannes Bourgeois. |
| M. Andreas Guyet. | M. Petrus Moriau. | M. Franciscus Guenault. |

Proponebat Lutetiæ IACOBVS LE MENESTREL Parisinus, A. R. S. H. M. DC. LX.